

jusdam Presbyteri in ipsa habitantis domo, Antonii de Gruppis nomine, Mansionarii Aquilejensis; ac manum enormiter conquassando unius illorum tunc pro Vesperis ipsas in ipso Campanili Campanas tunc pulsantium pro Vesperis; & cujusdam alterius ibidem existentis in crure feriendo. Insuper ea die per diversa loca in districtu & dominio Aquilejensis Ecclesiæ immensitas grandinum & pluviarum fuit, qua vindemmiarum & segetum opus sublatum ex toto fuit ad damnum gravissimum incolarum. Hæc igitur omnia suprascripta, meo sane tempore visa, ad præsentium futurorumque notitiam deduci intendens, prout propriis perspexi oculis partim, partimque fide dignissimorum relationibus comperi, quantum meo valui ingenio. Ego Vitus Johannis de Utino, hujus B. Mariæ Civitatenfis Ecclesiæ Canonicus, manu propria scripsi & annotavi, rogando quemcumque legentem hanc ipsam descriptionem, ut me Omnipotentis Dei suis orationibus devotis gratiam consequi impetret: cui est honor, & gloria per infinita secula seculorum Amen.

M. CCCC. LXIX. die undecimo Mensis Julii, Thærei venerunt usque L. & destruxerunt circumquaque totum Territorium: & ita fecerunt circa L. .... & ut fertur deprædaverunt animas 1500. Ferro autem & igne multi mortui sunt. Rumor autem immediate circumforuit in Patria: & omnes Civitates & Fortilicia munierunt se cum maximo timore. Et nota, quod fuerunt prope Lubiglanam per Milliaria tria.

M. CCCC. XCIX. die Sabbati, in Vigilia S. Michaelis Mensis Septembris, Scander Bassa, Dux, & Princeps Imperatoris Turcarum, cum magno exercitu invasit hanc Patriam Forojuliensem: & usque ad Plavim fluvium discurrens, igne & ferro omnia devastando; interfectis partim, & partim in captivitatem adductis 11000. utriusque sexus hominibus. Octavo die per viam, qua venerat, illæsus reversus est in regionem suam.

M. D. Romæ fuit Jubilæum, Alexandro VI. existente summo Pontifice: quo anno in Oriente inter Regem Turcarum, & Sereniss. Ducale Dominium Venetorum fuit maximum bellum maritimum: & dictus Rex Turcarum obsedit multa Christianorum loca, inter quæ fuerunt Lepanto, Modon, & Coron.

M. D. II. die Sabbati XXIX. Januarii antelucem, Templum hoc Civitatense præ vetustate consumptum, quadraginta annis & amplius, magnis ex-

penfis reedificatum & renovatum, infelicissime alto a culmine ruit.

M. D. XXIX. Dominica prima post Ascensionem Domini est dedicatio hujus Ecclesiæ Collegiæ Civitatenfis, quæ fuit consecrata solemniter a Reverendissimo D. Daniele de Rubeis, Episcopo Caprulano, ac Suffraganeo in Patriarchatu Aquilejensi; & Canonico Civitatenfi, die Dominica nona Mensis Maii M. D. XXIX. L. D. O. M.

M. D. XLII. die XXIII. Augusti, existentibus Paulo III. Pontifice Maximo, ac Carolo V. Imperatore, necnon Marino Grimano Cardinali & Patriarcha Aquilejensi; irrui ex parte orientali ad nostras Forojulii regiones multitudo locustarum impetu quidem tali, similiterque famis rabie, ut pariter omnes mortales terrore affecerit, omniaque legumina ad victum spectantia devastaverit. Hora meridiei adventasse cæpit, nec usque ad noctem destitit. Et nisi omnes ad eas occidendas ac terrendas, instrumenta ferrea ac ænea pulsanter, cucurrissent, de bladis minutis ac fœnis in hoc anno clamatum erat: omnique invito remedio, damnum immensum ac lacrymabile ab hac peste illatum fuit. Hujusque fuit generis portentum, quod dignum putamus ut posteris memoria luceat.

M. D. XCVIII. initio Mensis Septembris, pestis cæpit grassari, & fere per annum hanc Civitatem Forijulii afflixit.

M. DC. II. die Dominica ultima Junii, Rev. D. Cornelius Thomafinus Canonicus, maximo populi concursu, solemniter fecit primum sacrum in Ecclesia Redemptoris. Quæ Ecclesia supradicta fuit postea de anno M. DC. XV. concessa Reverendis Patribus Cappucinis, qui eodem anno cæperunt ibi ædificare Monasterium.

Anno Domini M. DC. XXXIV. die Jovis XVI. Mensis Martii, processionaliter invocato subsidio Beatæ Virginis Mariæ Tutel. Ecclesiæ nostræ Collegiæ Civitatenfis, appositæ fuerunt primæ petreæ fundamentales pro construenda Turri magna nova apud Ecclesiam magnam prædictam, ubi erat jam Ecclesiola S. Antonii, quæ unita cum Ecclesia antiquissima S. Joannis Baptistæ, commemorata in Scripturis antiquis, (& ex ambabus jam formatum erat Sacrarium) diruta, imo dirutum superiori anno M. DC. XXXI. fuit, sive fuerunt, una cum Turri vetusta, imo vetustissima, cum suis minaretur excidium.

F I N I S .

*hujusmodi reedificatio hujusmodi  
Grimano.*